

personam a dominio supradicte urbis excludimus. Nulla enim ratione tyrannicam potestatem in cervicibus clericorum dominari volumus. Preterea omnes res et possessiones, universa quoque predia, quascumque vel in quibuscumque locis vel regnis seu comitatibus predecessores nostri divi reges vel imperatores a primitiva ecclesia eidem matri ecclesie sancti Mauricii Viennensi metropoli ad nostra usque tempora spontanee contulerunt vel alii retro principes seu quilibet deo fideles pro remedio anime sue vel qualibet alia pia devocione obtulerunt, per nostram imperialem auctoritatem eidem ecclesie eiusque rectoribus omni corroboracionis munimine confirmamus. Tibi vero Ainardo dilectissimo nostro venerabili archiepiscopo dignitatem ab antecessoribus nostris collatam indivisam conservantes recognoscimus videlicet, ut in regno Burgundie sacri palatii nostri archicancellarius et summus notariorum nostrorum semper existas et post te successores tui. Omnia quoque regalia ab antecessoribus nostris ecclesie Viennensi collata, commune etiam forum agencium vel sustinencium, causas tam civiliter quam criminaliter nostra concessione teneas et possideas. Ad hec decernimus, ut in adventu nostro vel quocienscumque ad curiam nostram vocatus fueris vel expeditionem nobiscum facere debueris, cives Viennenses et Romanenses²⁾ omni excusacione remota congrua tibi subsidia conferant. Privilegia quoque imperatorum et regum antecessorum nostrorum, quorum scripta Viennensis ecclesia habet, tibi et ecclesie eidem inperpetuum confirmamus. Si quis vero, quod absit, hanc nostram concessionem vobis et ecclesie vestre factam aliquo modo inquietare presumpserit, banno imperiali subiaceat et centum libras auri purissimi pro pena componat, quarum medietatem camere nostre, reliquam vero partem passis iniuriam decernimus persolvi. Ad cuius rei certam in perpetuum evidentiam presentem paginam inde conscribi iussimus et maiestatis nostre sigillo aureo communiri. Huius rei testes sunt: Armo^{b)} Tarentasiensis archiepiscopus, Angelus Tarentinus archiepiscopus, Otto Nouariensis episcopus, Albertus Vercellensis episcopus, Gaido Yporerensis episcopus, Ardewinus Taurinensis episcopus, Bonifacius Saonensis episcopus, Bonifacius marchio Montisferrati, Willelmus marchio de Palodio, Arnoldus de Horemberc, Marquardus senescalcus, Heinrichus marscalcus de Bappenheim, Heinrichus^{c)} pincerna de Lutra, Thomas castellanus de Nona et alii quam plures.

^{b)} so B (statt Aimò) ^{c)} Heinrich aus Hunricus korrigiert B

²⁾ Romans-sur-Isère (ssö. Vienne), Dép. Drôme.